

**Specimen medicum inaugurale, de fluore albo, quod, ... / ex auctoritate ...
Hieronymi Davidis Gaubii, ... pro gradu doctoratus, ... eruditorum examini
submittit Edvardus Hemphill.**

Contributors

Hemphill, Edward, 1735-1811.
Gaubius, Hieronymus David, 1705?-1780.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Theodorum Haak, 1762.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e32mrfq9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

5.

S P E C I M E N M E D I C U M
I N A U G U R A L E,
D E
F L U O R E A L B O ,

Q U O D ,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

HIERONYMI DAVIDIS GAUBII,

MEDIC. DOCTORIS, EJUSDEM AC CHEMIÆ ET COLLEGII
PRACTICO-MEDICI PROFESSORIS ORDINARII, SERENIS-
SIMI PRINCIPIS ARAUS. ET NASSOV. ARCHIATRI.

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,


P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit

E D V A R D U S H E M P H I L L ,
H I B E R N U S .

Ad diem 14. Augusti MDCCCLXII. H. L. Q. S.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud THEODORUM HAAK, 1762.

ОБЛАСТНАЯ

ЗИМНИЙ ОЛІМПІАДНИЙ

СТАРТУЮЧИЙ КОЛЛЕКЦІЙ

ІНІЦІАТОРІВ ВІДКРИТОГО

ІННОВАЦІЙНОГО РОЗВИТКУ СЕРВІСІВ

І АКАДЕМІЧНО-НАУЧНОЇ ДІЯЛЬНОСТІ

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30418422>

MATTHÆO JACOB ARMIGERO
DE S^t. JOHNSTOWN IN COMITATU TIPPERARIENSI,
VIRO COMITATE MORUM, INGENIIQUE DOTIBUS
CONSPICUO,

N E C N O N

V I R O

D O C T I S S I M O

THOMÆ YOUNG, M. D.
ET ARTIS OBSTETRICIÆ APUD EDINENSES
PROFESSORI PERITISSIMO,
IN TESSERAM GRATI SUI ANIMI OB VARIA
BENEFICIA SIBI COLLATA,

*Hacce studiorum suorum pri-
mitias ea observantia
qua par est*

D. D. D.

EDWARDUS HEMPHILL.

МАНГАЛОВЫЙ АРИЕР

ДЕЯНИЯ ПОДИУМНЫХ СОВЕТСКИХ ГЕНЕРАЛ
ИХ СОВЕТСКИХ МОНУМЕНТОВ ВЪ ДОСТАВ
СОВЕТСКОГО

СОВЕТСКАЯ

УДОБНО

ДОСТАВЛЯЮЩАЯ

ДОМЪ ЮНГЪ М.Д.

ПРИЧАСТИЕ ЯВЛЯЮЩЕ
ПОДИУМЪ ПЕРВЫЙ

ИЗ ТЕСЕВА ГРДА СУ ВИДУ ОФИЦИА
ДИНЕСИЯ СІІІ СОВЕТСКАЯ


ДОБРОДУШІЯ ПОДІЛЛЯЮЩАЯ

СОВЕТСКИХ ГЕНЕРАЛІВ

СОВЕТСКИХ ГЕНЕРАЛІВ

СОВЕТСКИХ ГЕНЕРАЛІВ

ДОБРОДУШІЯ ПОДІЛЛЯЮЩАЯ



PROÆMIUM.




nter opera, quibus se suamque Gloriā declarare voluit CREATOR ADORANDUS, primum sibi vindicat locum corpus humanum, cuius strueturam, et si nemini adhuc contigit, forte nunquam continget, accuratissime tenere, nihilominus eo usque cognita est, ut cuivis attente animo rem perpendenti patebit summam in eo extruendo potentiam, sapientiam & benificentiam conjunctas fuisse. Qui vero augebitur admiratio, si spectetur hæc machina per multorum decursus annorum incolmis servata, ipsa tam fragilis, externis tam obnoxia injuriis, ut sine ARTIFICIS DIVINI providentia semper durare possit ne quidem per minutissimum

P R O O E M I U M.


temporis spatiolum? Minimè tamen a morbis
immunes degimus; Genus Humanum, plurimis
ærumnis sua natura obnoxium, inter tot tamque
diversas illæcebras quotidie versatum, etiam sibi
mala multifaria inducit; ad quæ sananda, ab omni
œvo summo studio culta fuit medicina, ad Æ^muram
heu adhuc non perducta!

Quanquam vero omnes non licet, tamen mor-
bos quam plurimos s^epe levare, interdum omnino
tollere usu remediorum, quæ ubicunque terrarum
larga manu disseminavit D^EUS, penes nos est.
Nec ulla nimis Præmia judicanda sunt indebita,
quam laudes & honores quæ universo consensu eis
decernuntur, qui arti salutari s^ese devoventes,
omnes & corporis & animi vires impenderunt,
ut morbos medicamentaque æque perspecta ha-
beant. Arduum quidem opus, non spernendis
implicitum difficultatibus! Quam sapienter igi-
tur sancitum est legibus inclytæ hujus Academiæ,
ut quisque, in cætu Apollinari sedem quærens,
non privata solum subeat tentamina, sed speci-
men suæ diligentiae publici faciat juris? Ut igi-
tur instituto huic morigerum me præberem, de
FLUORE ALBO paucis differere volui.

S P E.



SPECIMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
FLUORE ALBO.



DEFINITIO ET NOMINA.



onstans vel cum intermissionibus ex mulierum genitalibus stillicidium materiae mucosæ, viscidæ, plerumque albæ, vel saltem ad albedinem vergentis, per contagium non contractum, fluoris albi nomen obtinet.

Hic morbus Græcis antiquis bene innotuit, & appellatione Pœs, qua fluxus omnes compre-

prehenderunt, additis vocabulis ερυθρὸς, λευκὸς &c. quibus fluores varios distinguerent, designatus fuit: a recentioribus autem medicis, fluor muliebris, cachexia uterina, profluvia alba, menstrua alba, albæ matricis superfluitates, flores albi, uteri profluvium dicitur, cum multis aliis nominibus, quibus omnibus præternaturalis humoris albi fluxus ex utero vel vagina exprimitur. Lingua vernacula THE WHITES.

ÆTATES MORBO OBNOXIAE.

Ex investigatione veterum ac recentiorum medicorum historiarum & observationum de hoc morbo appareat, ætatem illi obnoxiam, totum fere stadium vitæ absolvere: ab anno tamen decimo tertio vel quarto, sc. quando menses primo erumpere solent, frequentius invadit. Cl. HOFFMANNUS (*a*) tempus primæ mensium eruptio-
nis maxime huic morbo obnoxium asserit; dum alii vir-
gines, non nisi diuturna chlorosi laborantes, fluori albo
perraro tentatas autumant. Frequentius (*b*) accidit fæ-
minis, quæ plures pepererunt liberos, vel quæ diffici-
liores passæ sunt partus, vel quæ sæpe numero abortum
fecerunt (*c*). Rationi quidem consentaneum videtur,
quod uterus, magnas & veloces vicissitudines hisce con-
ditionibus effectas, crebrius perpessus, multo magis huic
& aliis morbis obnoxius evadit. Primus etiam mensium
impetus, si vasa uteri excretoria tam stricta sint, ut
con-

(*a*) Med. ration. syst. tom. quart. pars quart. cap. 16.

(*b*) Mauriceau Malad. des Fem. gross. vol. I. livre III. chap. 22.

(*c*) Astruc Malad. des Fem. chap. 10.

conaminibus naturæ ad sanguinem expellendum resistent, præter generalem perturbationem, quam excitat, uterum præcipue afficit. Fæminæ quarum menstruus fluxus statam periodum haud rite servat fluorem album sæpe experiuntur; nec minus vetulæ infirmæ, præsertim si (d) regimine minus salutari utantur. „ Quod si de-„ nique corporis habitum respicimus, experientia teste, „ fæminas & nervis & fibris minus solidis, sed laxiori-„ bus & natura, ut ajunt, serofiori prædictas præ aliis „ huic malo observamus subiectas. ” (e)

Aliquando infantibus etiam accidit hic fluxus, cuius varia inter medicorum (f) observationes extant exempla. Cl. D. YOUNG, Artis obstetriciæ in Academia Edinburgena Professor, casum mecum communicare dignatus est, quem ipsius verbis subjunxi. Mulier quædam de filiola sua, quinque circiter annos nata, quæ per tres fere menses ex fluore albo laboraverat, ejus concilium rogavit. Medicamenta purgantia suasit, atque his rite exhibitis, fluxus breve evanuit: Hoc tamen ex vagina suppresso profluvio, simili evacuatione ex palpebris correpta fuit ægra, quæ eodem modo tractata, intra duarum hebdomaduum spatium sanata fuit. Sunt tamen qui hæc in dubium vocant, & suspicantur puellas, fluore albo laborare dictas, potius gonorrhœa virulenta afflictas fuisse. Nullus quidem dubito quin hoc fieri aliquando deprehendebatur; sed si vasa uterina infantum tam patula quandoque reperiantur, ut menstruo

fan-

(d) ASTRUC Malad. des Fem. chap. 10.

(e) HOFFM. Med. rational. syst. tom. IV. pars IV. cap. 16.

(f) FERNEL. lib. IV. cap. 16. RODER. à CASTRO lib. I. cap. 14.

sanguini viam suppeditant, quidni etiam fluoris albi materiæ?

DESCRIPTIO ET DIFFERENTIA.

Ex muliebribus manat humor latus, mucosus, albicans, serofus, sero lactis vel decocto avenæ persimilis; aliquando tamen flavus, viridis vel subniger; modo crassus & pus spissitudine æmulans. Plerumque, in initius præsertim & quando symptomata leniora sunt, inodorus est ac mitis, nullo cum dolore junctus: & in hoc statu (si modo fluxus sit moderatus) fœminæ per longum temporis spatium sine Virium dejectione notabili vel alio graviori symptomate perdurare visæ sunt; longius vero protractus, vel copia auctus, fit foetidus, tantaque acri monia sæpe prædictus, ut partes genitales excoriet.

Continuatio & intermissiones fluxus multum in variis ægris variant; „, siquidem aliis continuus est & quotidianus, in aliis per intervalla repetens bis terve in mense accidit; licet sint exempla, ubi etiam periodice & statu quasi tempore venit. Dein in nonnullis menstruum fluxum modo præcedit, modo comitatur, modo sequitur, vel etiam intermedio tempore prodit; quin imo in graviori statu ipsarum mensium loco ortur & ne illis quidem, quibus menstruorum tempus secundum naturæ ordinem præteriit, ut vetulis, parcit.” (g)

Astruc in elaboratissimo tractatu de morbis mulierum, (b) post divisionum enumerationem, quatenus

fluor

(g) HOFFM. Med. ration. syst. tom. IV. pars IV. cap. 16.

(b) Malad. des Fem. Tom. 2. chap. 10.

fluor continuus est vel intermittens, mensibus suppressis vel illæsis accidens, cum variis harum combinationibus, quas ad meum propositum nimis foret longum commemorare, alias proponit differentias ex natura, colore & qualitate fluxus; ad duas tamen species primarias omnes redigit, lacteam sc. & lymphaticam: hæc autem a tempore stagnationis in utero vel vagina, vel a morbi diuturnitate pendere videntur; quocirca, minutiis omissionis, ad duas species, multum ab invicem discrepantes variamque medelam exigentes, potius retulerim: Prima definita appellari licet; nempe a vitio vasorum uteri vel vaginæ ortum ducens: secunda generalis, quia in hac totum afficitur systema. Hæc species fœminis laxi & plenioris habitus accedit, & ex humorum prava dispositione oriri videtur. Hæc comprehendere ducetur aliam speciem, quæ etfi a malo corporis habitu oritur, tamen salutaris appellari licet, quatenus defectum vel etiam totalis mensium suppressionis locum supplet, earumque periodum exacte servat, nisi quod paucis diebus plerumque prævertit, totidemque post illam durat. Species hæc gradus mensium decolorum gravior tantum esse videtur, nec sine maximis incommodis reprimitur: quæcunque remedia ad fibras firmandas sanguinemque densandum convenient, hic maxime conducunt.

ST M P T O M A T A.

Præter muci ex sinu pudoris stillicidium, symptomatum caterva exoritur plus minus urgentium, secundum ægrotæ habitum, fluxus quantitatem vel duracionem morbi. Si uterus solus in vitio est in longum pro-

trahi potest fluor sine ullo graviori effectu, usque dum evacuatione continua systema totum debilitetur; & hinc oriantur gravissima quæ sequuntur symptomata.

Fœminæ venustum amittunt colorem & " ora pallor albus inficit. " Solida laxantur, humores vitiantur universaque lassitudo occupat membra. Corporis superficies tumoribus albidos, laxis, hydropiformibus, impressionem digiti retinentibus sæpe deturpatur; præcipue crura, pedes, manus cavæque sub oculis partes. Venter imus non raro tumet. Ventriculi vires prosteruntur, malaque inde pendentia oriuntur; appetentia sc. læsa, nausea, stomachi Morsus, frequens ciborum corruptio, ructus acidi & nidorosi, Cardialgia & Dolor Capitis. Cibus ponderis sensationem, præcordiorum anxietates & vomitus excitat. Flatus per intestina Vagantur. Oculorum splendor perit; hebetes fiunt & gramiosi; & „ turpis macies - decentes occupat „ malas. " Post lenissimam quidem exercitationem anhelatione & cordis palpitatione corripiuntur. Hysterico affectu sæpe vexantur. Timidæ fiunt & tristes. Summum dolorem & imbecillitatem in regione lumborum percipiunt. Os uteri aliquando ita laxatur, ut pollicem facile admittat; quandoque vel ad os externum procedit. Pulsus debilis est; si vero fluor acris fiat & dolore partes afficiat, pulsus parvus fit & celer. Urina crassa est & mucosa; in quibusdam vero tenuis, (i) subviridis, cruda & flocculenta, crassam nubeculam, aut mucosum sedimentum ad fundum deponens. Fluor fit fetidus & summa acrimonia junctus; partes vicinas erodit,

(i) STORK Ann. Med. 2, pag. 208, anno 12. idem men-

dit, & dolore acutissimo excruciat; colorem mutat ad flavescentem, virescentem aut nigricantem. Omnia deinde quæ febrem hecticam comitantur, hic apparent.

Hæc sunt præcipua symptomata, quæ in hoc morbo observantur; minime tamen totam explent cohortem; alia ex diversitate circumstantiarum sese exhibent, & varie complicantur, donec his progressu temporis auctis, aliisque morbis illatis, mors exoptabilis, supremum miseriarum levamen, scenam tristem claudit.

S E D E S M O R B I.

Ex variis auctorum sententiis de uteri intima structura, difficultatibusque, quæ in eam indagando occurunt, arduum est huic fluori determinatam sedem assignare. Plerique tamen in hoc consentiunt, quod ex vasis mensibus dicatis, quæcunque sint, ortum ducit. Hoc imprimis probabile videtur, quandoquidem pro menstruis quandoque vicarius sit; nec non quia muci fluxus, huic persimilis, mensibus periodum exactis, semper insequitur. Hic objici possit, fluorem album sæpe ex vagina sola stillare: Idem de mensibus afferere possumus ex hoc, quod nonnullæ feminæ toto gestationis decursu hanc evacuationem experiuntur, quando non nisi e vagina effluere queat. Quænam autem sunt hæcce vasa menstrualia? An arteriarum fines ultimæ, an sinus vel venarum appendices ab Ingenios: ASTRUC descrip- tæ, hic non commorabor; hæc enim disquisitio in nimiam longitudinem hanc dissertationem protraheret; & ut verbis Horatii utar,

Nil facit exemplum litem quod lite resolvit.

B. 3.

Qui

Quidam fluorem album partim ex uteri & vaginæ glandulis stillare opinantur; & ASTRUC speciem lacteam ex his solum provenire afferit, quæ colatoria lactea nominat; lymphaticam vero ex vasis lymphaticis disruptis: Ad hæc autem decernenda perfecta uteri structuræ notitia requiritur, quæ adhuc nemini contigit; nec talis cognitio multum ad curationem conduceret, quoniam indicationes curatoriæ eadem manerent.

CAUSÆ PROXIMÆ.

Causa fluoris albi proxima a nimia vasorum uterino-rum imbecillitate, vel conditione aliter læsa, sicut in prima specie, pendet; vel a statu humorum vitioso & nimia copia, horum vasorum imbecillitati conjunctis, cuius secunda species exemplum præbet.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ prioris speciei remotæ sunt omnia, quæ fibras uteri debilitant, tonumque vasorum destruunt; quo deficiente, humores per tot ac tam convoluta vasa cursu leni-tiori feruntur, quod secessioni materiæ moram præbet. Hæ præcipue sunt, vis utero in partu illata, vel avulsio placentæ violenta; abortus frequens; fluxus menfium vel lochiorum immoderatus sæpius accidens; thermarum abu-sus; continuus hypocaustorum usus; veneris excessus, vel etiam (k) abstinentia nimia; pessaria acria; Lues venerea (l), quæ glandulas vasaque vaginæ ita de-biliante

(k) GAUB. Pathol. §. 563.

(l) MORTON Phth. lib. I. cap. 4.

bilitat vel erodit, ut, hac sanata, mucum effundere pergent; status, ultra modum protractus (*m*), quod fluidorum regressus ad cor impedit; tumores etiam partium utero vicinarum hoc efficere queant; constipatio alvi in morem protracta (*n*); quibus aliæ facile addi possent.

Præter causas jam recensitas fluor albus generalis alias agnoscit, quas nunc enumerare proponitur: hæ ad capita sequentia redigi possent; organorum chylopoieticorum læsa functio, vel quocunque hoc efficere potest, uti cibus durus, viscidus, dyspeptus, nimia quantitate devoratus; frequens ingurgitatio potus diluentis; vita otiosa; somnus nimius vel vigilæ; pathemata animi vehementiora, veluti ira immanior, mæror &c.; perspiratio cohibita ab aëre frigido & humido; fluxus menstrui obstructio subita vel diuturna; evacuatio quæcunque astuta, subito suppressa; pulmonum læsiones, quibus ad chylum assimilandum inhabiles evadunt; febris lenta &c.

Quomodo hæ causæ hunc morbum inducere possunt explicare nunc nosmet accingamus.

ORGANORUM CHYLOPOIETICORUM, ETC.

Quod bonorum humorum præparatio integritati actiōnum ventriculi & intestinorum magna ex parte debetur, omnibus notum est; quando vero hæ languent, ciborum subactio non rite perficitur, & chylus crudus in vasis accumulatur: Idem præstare potest cibus sua indole magis

(*m*) GAUB. Pathol. §. 517.

(*n*) MAURICEAU Malad. des Fem. gross. vol. I. livre III. chap. 22.

gis tenax, quam vires ventriculi satis subigere queant; quales sunt carnes fumatæ, pisces induratæ, legumina, &c. Olera etiam, variæ radicum species, dulcia, fructus, acida & acetaria, et si sua natura non male solubilia, tamen, præsertim si nimia quantitate, fine interpositis aliis, devorentur, fermentationem patiuntur, flatus generant, primatum viarum fibras distrahunt & enervant, atque corpus cruditatibus implent. Hæc rite consideranti haud obscura esse potest ratio, cur, vasibus humoribus repletis, corpus cacochymia gravetur & non reficiatur; secretiones tarde perficiantur, & humores superabundantes uteri vasa petant, utpote ingressum minus resistentia.

POTUS DILUENS.

Aquosi liquoris abusus viscera primæ digestionis laxat & debilitat; menstruorum (o) salia nimis diluit; massam sanguineam serosa tenuitate inundat, & torporem inducit; unde nutritio depravatur, & mala multifaria originem ducunt, prout viscus hoc vel illud labe priori inficitur.

O T I U M.

Motui animali magna ex parte debetur humorum circuitus per vasa minima; Otio vero nimio, inducuntur humorum stagnatio & accumulatio, secretionum & excretionum impedimenta, potentiarum motricium torpor;

(o) GAUB. Pathol. §. 474.

por; minuitur solidorum actio in fluida, qua deficiente, assimilatio chyli non rite perficitur; unde varia solidorum & fluidorum vitia. Hæc omnia in pejus ruunt, si victui pleniori interea indulgeant; quod recte judicavit HIPPOCRATES, monens cavendum esse, „ utrum cibi „ labores, an vero cibos labores superent; an mode- „ rate inter se habeant, quodcumque enim supereretur, „ ex eo morbi contingunt, ex mutua vero inter se æ- „ qualitate sanitas adest. ” (p.)

S O M N U S E T V I G I L I A E.

Ad perfectam sanitatem tuendam alterna requies & Vigiliæ requiruntur nec alterutrius excessus sine damno ferri potest. Prior status reficit vires posteriore deperditas; ulterius vero protractus, perspirationem (q) cohibet, & omnia mala ab otio nimio pendentia, inducit. Vigiliæ diuturniores eosdem fere effectus producunt, sed diverso modo; hic enim spiritus vitales, cæterique humores indigeni dissipantur, vires motrices exhauriuntur; unde corpus grave evadit & onustum, & ad munera fungenda minus validum.

A N I M I P A T H E M A T A.

Miram connectionem inter principium cogitans & corporeum non datum est mortalibus animo consequi; hoc

(p) De Victus ratione sanorum Lib. III. cap. 3. Chart. tom. IV.
pag. 481.

(q) Sanctor. IV. 50.

18 SPECIMEN MEDICUM

hoc tantum scimus , quod mens male affici nequit , quin corpus etiam plectatur. Ira immoderata totam Oeconomiam turbat & exagitat. Mœror vim nerveam resolvit , omnesque motus vitales & animales retardat & opprimit ; vim coctrice ventriculi adprime lædit , ad pravorum generationem humorum disponit , & corpus sensim tabefacit ; adeoque , maxime si aliqua uteri labes prægressa fuerit ad hunc morbum viam prosternit. Idem dici potest de cæteris , ultra modum excitatis.

PERSPIRATIO COHIBITA.

Certum est aliquid per perspirationem e corpore expelli , quod , si subito supprimatur , diros effectus confessim ostendet ; si vero sensim cohibeatur , præcipue in regionibus paludosis , ubi scatet aer particulis humidis , præter noxas quas ejus retentio affert , vasa inhalantia , in tota corporis superficie distributa , præfertim vero in pulmonum vesiculis , humiditatem imbibent , & aer , vaporibus jam oneratus , in expiratione non auferet solitam exhalationem ; unde corpus nimia aquositate implebitur , vasorum fibræ in pulmone debilitabuntur , & chylus propriam indolem diu retinebit , nec in bonam sanguinem mutabitur. Plurima mala ex hoc fonte derivata , nec non ex mensium suppressione , recensere sciens omitto , utpote ultra proposatum deduentia.

EVACUATIO QUÆCUNQUE, ETC.

Quotidianis observationibus evincitur , evacuationem repre-

repressam aliam suscitare, ut materies a priori solita evanescari e corpore eliminetur. Cl. HOFFM. (*r*) inter causas fluoris albi, suppressionem destillationis mucosæ enumeribus ASTRUC (*s*) observat, quod fœminæ post partum non lactantes, & nutrices præmature ablactantes, huic fluori subjiciuntur; quia lac, quod in mammis secerni solebat, tunc temporis in utero depositur.

D I A G N O S I S.

Variæ mutationes, quibus mulierum genitalia exponnuntur, ad multos morbos ea subjiciunt, qui, et si a variis oriantur causis, variamque medelam ad curationem bene instituendam postulent, tamen adeo similibus aliquando stipantur symptomatibus, ut non sine difficultate dignosci queant: qua propter non abs re erit eos singulatim attingere, quo facilius nostrum affectum ab aliis distinguere conemur.

Primo, a destillatione humoris ferosi post mensium vel lochiorum evacuationem finitam facile dignoscitur, quatenus hæc a constrictione vasorum menstrualium pendet, quæ globulos rubros haud ultra evadere permittit; adhuc vero feri tenuioris transitui non obſistit: vasis sensim ad naturalem diametrum constrictis, hæc omnino cefſat, nec morbus dici meretur.

Fluor albus majorem videtur habere affinitatem cum mensibus decoloribus, quibus mulieres, præsertim juniores, sæpe sunt (*t*) obnoxiae; & fortasse ab iis in hoc solum

(*r*) Med. ration. syft. tom. IV. pars IV. cap. 16.

(*s*) Traité des Malad. des Fem. chap. 10.

(*t*) HOFFM. Med. ration. system. tom. IV. pars IV. cap. 16.

solum differt, quod illic uterus semper peculiariter afficitur, hic vero tota humorum massa ita attenuatur, globulique rubri ita resolvuntur, ut lintea ægre tingantur, utero interim illæso; hæque suam plerumque exacte (*u*) servant periodum, ruboremque aliquatenus retinent; dum e contra fluor albus etiamfi intermittens, statis recursibus perraro gaudet, nec sanguine inficitur, nisi postquam morbus eo violentiæ procerterit, ut ab ulcerato utero sanguis profluat; jamque morbus per signa præcedentia sat sese manifestaverit.

Muci fluxus, qui partum paucis diebus præcedit, minime cum fluore albo confundi potest, nec magis glandularum humoris scaturigo, quæ quibusdam fæminis, dum lascivis cogitationibus vel insomniis libidinosis obruuntur, accidit; quoniam hi a causis eos excitantibus satis perspicui sunt.

Fluor albus recens facile ab ulcere uteri dignoscitur; primo, ex ipsius ulceris signis casibusque prægressis; deinde ex fluoris qualitate; prioris enim materies plerumque mitis est & inodora, &, si mensium periodum excipias, sine sanguinis admitione; hujus vero acrimonia, graveolentia & dolore semper comitata, incertis intervallis sæpe striis sanguineis inficitur, menstruo fluxu interim statum tempus raro servante. Materies fluoris albi inveterati aliquando acris & foetida evadit; quodsi dolor in utero tunc temporis percipitur, ulcus jam merito suspectum est.

Multum laboris posuerunt medici, ut indicium explarent, quo fluorem album a Gonorrhœa Virulenta di-

gnos-

(*u*) HOFFM. Med. ration. syst. tom. IV. pars IV. cap. 16.

gnoscerent. In quibusdam casibus, credo, nullum certum dari characterem, qui hos affectus satis distingueret; tanta est disparitas quæ in utrisque apparet; nec certam diagnosis diducere possumus, nisi ex plurium symptomatum concursu. Fama ægrotæ, duratio morbi, materiæ copia & spissitudo plerumque multum ad diagnosis formandam conducunt; propterea quod in Gonorrhœa fluxus minor est & spissior, & progressu temporis alia symptomata, sibi propria, producit: quando autem fluor albus mitius ingruit, Gonorrhœam virulentam sæpe, quoad materiæ copiam, (v) non exuperat; & e contra inflammatio & ardor urinæ, gonorrhœæ virulentæ asseclæ, aliquando tantilli sunt momenti, ut vix sentiantur. Si paucis post coitum diebus modicus materiæ albidae fluxus e vulva stillare incipiat, inflammatione circa urethræ finem vel virginam stipatus; si ardor sentiatur dum urina redditur; si fluor continuus sit, & cito mutatur in flavum vel viridem, & aliquid fœtoris (x) acquirat, sine dolore vel imbecillitate in regione (y) lumborum, gonorrhœa merito supicatur. Si vero fluor sit copiosus, mitis & inodorus sine inflammatione vel ardore urinæ, præcipue si lente increverat, vel diu dura-
verit, effectibus tamen qui gonorrhœam virulentam vulgo sequuntur non prolatis, tuto fluorem album pronun-
ciare licet.

Baglivi (z) proponit signum infallibile, (ut ait,) hos

(v) MAURICEAU Malad. des Fem. gross. Vol. I. Livre III.
Chap. 22.

(x) Ibid.

(y) ASTRUC Melad. des Fem. tom. 2. chap. 10.

(z) Prax. Lib. 2. Cap. 8. Art. 8.

hos morbos ab invicem distinguendi; sc. si fluor materiæ albæ, superveniente menstruo fluxu, perseverat, pro certo gonorrhœa gallica vexatur ægra, & vice versa. Hoc autem, vereor, licet revera fluor albus tempore menstruationis cessat, (quod tamen aliqui *(a)* negant) incertum dabit æternus; quoniam matieres gonorrhœæ aliquando, præsertim si in vagina sedem habet, sanguine menstruo adeo obvolvi potest, ut cerni nequit; & etiam si fluor albus, quando ex vasis menstrualibus provenit, mensibus cedere videretur, tamen, quando copiosior e vagina exstillat, talem menstruo sanguini (si paucus sit) proportionem ferre potest, ut non prorsus dispareat; nec video quid in hoc casu ejus continuationem vetat.

RATIO SYMPTOMATUM.

Omnium fere symptomatum, ab hoc morbo nascientium, ratio petenda est ex dispendio humorum continuo, quo solida debilitantur, & eorum actio in fluida minuitur, vel ex prava humorum dispositione, quæ eos ad nutritionem minus habiles reddit: quo circa ea perfunctorie tantum attingam. Pallor oriri videtur a dissoluzione globulorum rubrorum, & systematis nervosi torpore; unde motus oscillatorius vasorum (a quo per vasa minima circulatio magna ex parte *(b)* pendet) minuitur. Lassitudo non solum fibrarum debilitati, sed etiam nimiae vasorum minimorum repletioni & motui humorum per illa lentiori cauam debet; quod evidenter appetet

ex

(a) HOPPM. & ASTRUC.*(b)* D. WHYTT's Physiolog. Edit. 2. pag. 61.

ex effectibus a materiae perspirabilis retentione productis. Tumores crurum &c. a tenuitate humorum & facultate vasorum absorbentium laesa oriuntur. Quod ad ventriculi laesiones attinet, in enumeratione causarum jam sat tractatum est. In sanis hominibus, acclivem locum rapide adscendentibus, sanguis venosus tanta copia ac celeritate ad cor dextrum redit, ut non potest eodem tempore per pulmonem transire, nisi celeri respiratione frequentius dilatetur pulmo: non mirum est ergo feminam, universa debilitate laborantem multo leniori motu anhelatione & cordis palpitatione corripi. Dolor lumborum, praeter distensionem varicosam vasorum circa regionem uterinam, exinde venire videtur, quod musculi lumbales, dorsales &c. ad tuendum corporis æquilibrium ferventes, universi systematis imbecillitatis participes, officium haud amplius sine dolore præstare queant: an etiam inter uterum & lumbos adest sympathia quædam ope nervorum, quæ huc facit? Timor & mœstitia non solum morbi fastidio & dubio ejus eventui originem debent; mira enim inter corpus & animum sympathia, qua, alterutro male affecto, alter etiam plectatur, multi hic momenti esse videtur. Hiatus & descensus uteri insolitus ejus pondus & ligamentorum laxitatem pro causas agnoscunt. Pulsus debilis est a causa generali debilitatis, sc. potentiae nervosæ defectu: quando autem aeris fit fluor, necesse est quandam ejus portionem in massam sanguineam recipi, quæ cor ad contractiones celeriores stimulet; unde febris hectica. Urina crassa evadit, ex admistione muci in ipso meiendi nixu protrusi; vel ex ampliatione vasorum renalium, quæ particulas solito crassiores transadigi finit.

PROG.

PROGNOSIS.

Hic morbus si in initiosis ad curationem attentio habeatur, raro per se periculosus est; semper autem incommodus, & plerumque medicamentis tarde cedit. Quanto minor est fluxus, spissior & minus constans, quantoque meliore corporis habitudine fruitur ægra, tanto facilius curatu, & e contra. Quo morbus recentior, & magis albicans & mitis humor, & quo exactius menstrua ordinem tenent, eo felicior eventus. Quo autem magis adoleverit morbus, & magis lividus, fuscus, fariosus ac fætidus humor, eo pejor prognosis; quia mæteries, jam acris evadens, partes genitales exulcerat; vasa uterina evacuatione perpetua debilitata, tonum pristinum difficilius recuperant, & absorptione materiæ massa sanguinea inficitur. SENNERTUS (c) refert, quod fluxus citrinus aut viridis, quamquam ob materiæ pravitatem majora pericula inducere potest, tamen, si idonea remedia adhibeantur, minus contumax est quam albus. Dolor in regione uterina infaustam prognosin exhibet; quoniam inflammationem, ulcus, vel cancrum indicat; præsertim si humor interea sit purulentus, fariosus vel ichorosus. Senes fæminas, præcipue si cachecticæ sint, plerumque ad mortem usque comitatur; in his enim vasa, jam debitum robur & elasticitatem perdiderant, atque vim medicinæ eludunt; facultasque concoctrix ventriculi, hac ætate & in his circumstantiis plerumque magnopere vitiatur. Fluor in principiis negligetur,

(c) Pract. lib. iv. pars 3. sect. 2. cap. 12.

glectus, & jam inveterascens, plurimis malis originem præbet, quæ in quantum difficulter curationem admittunt, tantum periculi priori damno superaddunt; hæc sunt, excoriationes pudendorum, ulcus, scirrus vel cancer uteri, cachexia, febris hectica, hydrops & non raro prolapsus uteri. Hic morbus conceptum fere semper difficilem, abortum vero facilem reddit: nec mirum quandoquidem uteri cavitas, quando hinc profluit humor, nimia serositate semper scatet, quæ hominis futuri rudimenta secum auferre potest (*d*); nec adest illa firmitas & robur uteri, præsertim cervicis, quæ ad conceptum & fætus retentionem requiri videntur. Ex observationibus autem (*e*) multorum auctorum patet, mulieres hoc morbo laborantes non semper steriles reddi vel abortiri. Annon videtur, illis, quæ fluore albo vexatæ pepererunt, vaginam solam peccasse, vel saltem fluxum longis intermissionibus subditum fuisse?

C U R A T I O.

Ut recte instituatur curatio, prius perpendendum erit, quænam causarum supra dictarum præsenti malo originem dat. Si valetudine aliter illæsa, uterus solus vi aliqua illata dolet, curatio vix differt ab ea quam recipit fluxus mensium immodicus, nisi quod in hoc, urgente necessitate, opiata in usum advocantur, cum in illo indicatio apprime jubet, ut constringantur vasa uterina:

Hoc

(*d*) Vid. HIPP. Aph. 62. sect. 5. & lib. de steril.

(*e*) ASTRUC Mal. des Fem. Tom. 2. chap. 12. STORK Ann. med. 2. pag. 214. &c.

D

Hoc præstant adstringentia topica, qualia sunt injectio-
nes in vaginam, factæ ex infuso Cort. Quercini, C. Gra-
nator. Rad. Tormentillæ, vel aliorum quorundam ex
classe vegetabilium astringentium. His, si res postulat,
addi possit Vinum Rub. Gallicum, Aq. Chalyb. Aq.
Calcis, vel Alumen. Fumigationes cum G. Olibano,
Thure, Mastiche, Myrrha, &c. accensis, bonos di-
cuntur præstitisse effectus. Fœminis hoc morbo laboran-
tibus sæpe constipatur alvus, & hoc vicissim morbi vires
acuit, fœcibus duris in uterum impingentibus. Ad hoc
tollendum magis optabile, magisque tutum Rhabarba-
rum quam Clysmata duco, quæ, fibras uteri jam nunc
nimis debiles laxando, malum semper intendunt; Rhab.
etiam frequenter repetitum humores ab utero avertere
potest. Hactenus egimus de primo morbi stadio, sc.
antequam vel fluida vel solida omnino vitiantur. Quan-
do in longum protrahitur morbus, quandoque evacua-
tio continua sistema debilitarit & induxit Leucophle-
gmatiam, medicamina reborantia, & evacuationes,
quales sine incommodo tollerare poterit ægra, præmit-
tantur, quibus vis solidorum augeatur & corrigatur
Diathesis humorum aquosa. Sed de his uberiorius in para-
grapho sequenti.

Quum causa morbi sita est in cacochyria generali,
duæ sunt indicationes curatoriæ. 1^{ma} quantitatem flui-
dorum minuere, humorem redundantem per aliud quod-
que emissarium expellendo; & sanguinis diathesin cor-
rigere. 2^{da} Debitum robur omnibus vasis præsertim ute-
rinis conciliare. Ut primæ respondeatur, phlebotomia,
nisi vires ferre recusent, usurpanda est, qua corpus ad
Emeticum præparetur. Et cum ventriculus ut plurimum
gra-

gravatur sordibus pituitosis biliosisve, Vitriolum album optimum videtur emeticum, utpote inter fortiora maxime tutum, & vi sua adstringente primas vias roborens. Pulv. Ipecac: etiam bona fruge hic usurpari potest. Horum utervis repeti debet debita post intervalla, ne magis quam par est defatigetur ægra, & doses repetitæ Rhabarb. cum Calomel. ad acrimoniam humorum corrugendam, intestinaque deplenda & firmando, interponendæ sunt. Thermarum usus, licet solida laxare conferret, hoc in casu tamen poros aperiendo, humoresque supervacuos per cutim expellendo, prodesse potest. Diuretica non spernendi usus sunt, nec non fontanella, quæ humores ab utero alienet, cum alia interim adhibentur remedia.

Hicce modis rite evacuato corpore, indicatio secunda exegit usum Terr. Japon. Cort. Peruv. Aquar. Chalybeatar. G. Oliban. Pulv. stypt. Helvetii, Amaror. stomach. Frictio, Vectio in Rheda, Equitatio, Aer salubris, Aq. Bathonienses, Bristolienenses, vel Hartfellenses, Aq. Calc. (simul severum servando regimen in non naturalibus, præcipue in diæta, quæ esse debet exsiccans, tenuis & facile solubilis, cum vino rubro gallico modica quantitate assunto,) in hunc finem præstantissimos exhibent effectus. In horum remediorum usu persistere oportet ægram, & quidem postquam fluxus omnino evanuerit, ne recidivam patiatur, quæ non raro accidit nisi diligenter præcaveatur. Materies, diu in utero vel vagina stagnans, tandem acris fit; hinc non abs re erit, si bis de die injiciatur mistura Lactis tepidi cum Aq. Rosar. vel Calcis, quod etiam vasa leniter constringere potest.


Ulcus, scirrus, cancer uteri, febris hectica, morbum
D 2 hunc,

hunc, ut causam, quandoque sequentia, quandoque conitantia, sunt maxime notanda. Morbum hucusque proiectum licet medicinæ cedere nescium existimat (*f*) Clariss. ASTRUC, imo ab incepto dehortat, præsertim in vetulis vel cacochymicis, quæ diu eo vexatae fuere, ne minoris gratia profligandi, in majora ducantur mala, & curationem palliativam solam tuto moliri asseverat. Licet ita sentit D. ASTRUC, tamen ex effectibus cicutæ præstantissimis, quos in similibus casibus se observasse testatus est diligentissimus STORK (*g*), sperare est, quod cicuta, & interne assumpta & in vaginam injecta sub forma insusi tenuis, cum lacte vel aq. calcis misti, utilissimum præbeat remedium. Clysmata emollientia & parum laxantia ad finem optatum magnopere conducent, dum dolores levant rectumque exonerant. Simul bibat ægra decocta demulcentia, mucilagines, lac Asinum vel caprinum (*b*); Dieta utatur vegetabili & probe nutrienti.

(*f*) Malad. des Fem. tom. 2. chap. 10.

(*g*) De Cicuta libell. 2. cas. 13, 14, 15.

(*b*) STORK Ann. Med. 2. p. 212.



DISSERTATIO PRACTICO-MEDICA
INAUGURALIS,

D E

LACTIS DEFECTU.

АСИДИОЛІЧНА СІМІЯ

ІІІ-ІІІ А. М. БІЛКОВСЬКИЙ

и а

УГОВОРІВТОЛІ